



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 2. Satisfit Dubiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

longè diversum modum procedendi esse, nec quemquam illi Sacerdoti, aut Curioni, quoad pœnam peccati, & absolutionis subici, in cuius parœcia deliquit. Prædictæ rationes enim non nisi in externo, & civili foro locum habent. *Covarr. loc. cit.*

2. Deprehensum reum in loco originis aut domicili ad locum delicti remittendum esse, quæ est *Regula Socini 338. ex Auth. Ut nulli. l. 1. Si vero quis. sed exceptiones plures admittit apud eundem, quarum potissima, quòd hodie consuetudo contraria invaluit, ut ibi reus pœnam subire cogatur, ubi deprehensus est. c. Si peccaverit 2. q. 1. Licet ratione de foro compet. Farinac. l. 1. Tit. 1. q. 7. Limit. 11. Item q. 2. §. ex prædictis. nec tenetur iudex loci non subordinatus alteri in eadem provincia ubi captus est reus, ad locum delicti remittere, nisi ex honestate quadam, & benevolentia, quam rogatus ab adversa parte, & iudice illius proprio impendet, uti Germaniæ nostræ mos est, cum protestatione, nullum ex tali actu præiudicium fore: quod etiam agnoscere, & scripto testari debent, quibus id obsequii præstatur. V. *Constitut. Imper. Anni 1559. Gaill. l. 1. de pace publ. c. 16. n. 30. & seq. Covarr. loc. cit. n. 5. Jul. Clar. l. 5. s. fin. q. 38. n. 19. & seq. Besold. part. 3. publ. quest. Conf. 131. Hartman. pract. observ. tit. 50. observ. 6. Fulv. Facian. consil. 46. Francis. Marcum part. 1. decis. 401. Melanion in Thesaur. iur. feud. Tit. 49. n. 2. & 3.**

Romæ deprehensos, qui extra illam quaecunque crimen perpetrarunt, ut in communi patria pœna non quidem ordinaria, sed arbitraria puniri, post alios testis est *Farinacius l. 1. tit. 1. quest. 7. §. Et ex his §. 2.*

§. 2.

Satisfit dubiis de pœna.

DVb. r. An, & quomodo affectus, & conatus ad peccandum puniatur?

Affectus & mera voluntas peccandi quamdiu later, nulla pœna plectitur, quia de occultis ne ius Curia, neque Ecclesia iudicat. 1. Cogitationis. ff. de pœnis. Actus conatus externus, etiam non secuto effectu punitur in multis casibus, perinde ac consummatum opus, quando nimirum non stat per conantem, quòd nimirum effectus sequatur. *Gigas de crim. les. maiest. q. 66. 1. est crimen raptus. l. Si quis non dicam rapere c. de Episc. & clericis.*

2. Læsa maiestatis, præsertim ex primo cap. *legis Julia*: ubi eadem severitate iura affectum cum effectu puniri volunt. c. *Quisquis. de pœnit. dist. 1. Clem. Pastoralis, de re iudic.*

3. Parricidii. Nam filius parricidii reus censetur, quando venenum emittit, ut patri daret, licet effectus non sequatur. l. 1. ff. ad leg. Pomp. de parric.

4. Assassinationis. Condemnatur enim tanquam sicarius, qui mandavit alicui per insidias alteri mortem inferre, quamvis postea mandatum revocet. c. *Pro humani §. fin. de homic.*

5. Infanticidii. Nam infantem qui occidere voluit, obnoxius capitali pœnæ est licet opere ipso non perfecerit. c. *Si quis de pœnit. dist. 1.*

6. Sodomii, ubi voluntas & conatus actui proximus sufficit, ut scelus ipsum consummasse putetur. Aliqui tamen con-

-trarium

cratim sentiunt. *Gail de pac. pub. c. 14. n. 26.*
 7. Lenocinii. Qui enim domi sui tra-
 ctatum de adulterio permisit, licet ibi-
 dem commissum non sit, lenocinio tene-
 tur. *l. Esiff. ad l. Inliam de adult. Hippol. in*
l. un. c. de raptor. Virg.

Denique generaliter in omnibus deli-
 ctis, quæ facile in consequentiam & exem-
 plum trahi possunt, affectus sine effectu
 puniuntur, licet mitiori pœna, quam effe-
 ctus, præfertim in materia statuaria. Nam
 quod delictum ex attentato æquiparetur
 perfecto operi, non ex rei veritate, sed fi-
 ctione procedit. Statuta autem purè, &
 naturaliter explicanda sunt. Multum pro-
 pterea boni iudicis arbitrio relinquitur.
Bald. Conf. 361. Fulg. Conf. 149. Boer. decis.
316. Decian. l. 9. c. 29. Clarus. q. 92. Tholosan.
l. 30. c. 2. n. 9. V. Felin. part. 3 in decretal. c.
fin. Gomez. tom. 111. c. 2. Card. Tusc. concl. 544.
Maranta pag. 45. Alex. Cast. Salic. & alii
apud eundem: quibus adde Comitol. l. 6. c. 18. &
24. Menoch. casu 359. & 360. Farin. qu. 17.
n. 49. Gail. l. de pace publ. c. 14. Tiraquel.
tr. de penis. causa 39. Barb. in c. Adolescens.
de despons. impub.

Dub. 2. An omnis conatus externus
 non secuto effectu pari cum illa pœna affi-
 ciatur?

R. Minimè, sed illum tantum ita pu-
 niri, qui proximus est operi perfecto, &
 consummato, cuiusmodi reperitur in eo,
 qui pudicitiam pueri, vel puellæ astentat:
 ubi si propter impedimenta extrinseca
 perficere non potuit, reus flagiti censetur,
 non secus, ac si plenè consummasset.
 Huius rei multa exempla numerat, & ex-
 plicat *Menoch casu 360.* ostendens pœna
 extraordinaria puniri eos, qui qualicun-

que externo actu mentis suæ malitiam
 produnt. *Iul. Clarus autem §. fin. q. 91.* ge-
 nerali consuetudine per totum orbem re-
 ceptum dicit, non puniri affectum sine ef-
 fectu, quamvis ad externum actum des-
 ventum sit: quod multa limitatione indi-
 get, ut præced. Dub. indicavi, & latè ex-
 plicat *Card. Tusch. loc. cit.* Falsum insuper,
 & communi Theologorum doctrinæ
 contrarium est, hæresin purè mentalem
 ab Ecclesia puniri: quasi ea, quæ soli Deo
 nota sunt, humano iudicio, & supplicio
 subiaceant. Si tamen hæresin mente con-
 ceptam verbo, scripto quis manifestarit,
 reus iudicii erit. *Navarr. in c. cogitationis. de*
pœn. dist. 11. & c. xi. Manual. num. 22. Silv. V.
Hæresis. s. 2. n. 5. ubi ne quidem de dubi-
 procedendi licentiam Inquisitoribus per-
 mittit.

Dub. 3. Cui relinquenda electio, quan-
 do pœna alternativè constituta est?

R. Cum distinctione quando verba
 legis ad iudicem diriguntur. ipius est eli-
 gere. v. g. Vel puniat fustigatione, vel
 releget. Si verò ad eam dirigantur, eli-
 get reus. Aut Fisco 100. aureos inferat,
 aut migret; alterutrum suo pro motu fa-
 ciet. Ac si impersonaliter verba posita
 sint, puta, Luat in ære, vel in cute, quam-
 vis aliqui dubitent, rationi consonum est
 iudici optionem relinquere. Aliàs mi-
 tiorem pœnam temper reus eligit. Con-
 stat etiam ex *l. Respicendum. ff. de penis re-*
gulariter penes iudicem esse ponere, &
determinare pœnam. Menoch. quest. 94.
Cardin. Tuschus Conclus. 316. Decius in c.
Inter ceteras. de rescript. barb. in c. Iudai de
de lud. & sarrac. Item Reg. 70. de reg. iur. in
6. Armilla. V. Pœna in 8.

Dub. 4.

Dub. 4. An pro homicidio, adulterio, & similibus delictis possit lege aliqua vel statuto imponi pecuniaria pœna?

R. Ostiens. & Panorm. in c. 2. de delictis pueror. nec licere, nec expedire, tum quia homines exponerentur vanales ad delinquendum, tum quia ad perpetranda scelera fierent audaciores, cum plerique sic affecti sint, ut pecuniam expendere malint, quàm corpus cruciandum offerre. arg. l. In servorum. & l. Aut facta. ff. de poenis. Meritò etiam illud in regno Poloniæ statutum improbat, ut pro servi occisione nobilis certam pecuniæ summam pendat; sed capite luat, si ingenuum, aut nobilem occiderit. Iul. Clarus, §. Homicidium. n. 7. cum, qui occidit alium culpa sua, sed absque dolo, seu deliberato animo, pecuniaria pœna, vel exilio puniendum esse docet: pœnam verò homicidii deliberati esse capitis: atque ita excludit pecuniariam. l. §. 1. ff. de Sicariis. Vvesenb. l. 48. tit. tit. 19. Tholos. l. 36. c. 20. Farinac. q. 14. n. 6. Gaill. l. 2. obs. 110. Diaz. in Praxi. c. 144. Vallens. l. 5. n. 12. Menoch. casu 329. Mynsing. Cent. 6. obs. 97. Damhoud. c. 84. Hartman. l. 2. tit. 50. obs. 10. Ordinat. Criminales Caroli V. Imper. §. 150.

Dub. 5. Cui pœna pecuniaria applicari debeat?

R. Regulariter Fisco deberi, postquam satisfactum est parti, cuius interest, l. mulctar. C. de modo mulctar. l. 3. ff. de sepul. violato. Clarus §. fin. q. 105. Silv. V. Pœna q. 25. Everh. in loco A fisco ad Eccles. Fiscus enim est bursa commp'dorum. l. mancipia. C. de servis & fugitivis. Et quia Eccles. propriè non habet Fiscum, attrahere mulctam pecuniariam non potest. Barbosa. in c. Cum sit. de heret. & c. Licet. de poenis nisi fortè pro-

pter inopiam egeat, ut pro necessaria sustentatione accipiat. Maranta tamen part. 3. pag. 38. totam pecuniariam pœnam applicari vult parti, quæ civiliter agit, idque desiderat, eò quòd mallet tantam pecuniæ summam perdere, quàm talem iniuriam pati. Covarr. l. 2. Var. c. 9. cum ab Ecclesiastico iudice pœna infertur propter iniuriam, dimidiam partem dicit Ecclesie competere, cuius Rector ipse iniuriam passus existimatur, alteram partem in utilitatem læsi esse distribuendam. c. 2. de poenis. Negari enim non potest, ex delicto Ecclesiam, & ipsum clericum lædi. Quæ ratio, si quam vim habet, etiam reip. applicari potest, dicitque quilibet, etiam sæcularis iudex, dividenda multa est, pars inferenda Fisco, pars læso tribuenda. Atque ita fieri passim cernimus. Vnde non tam ius commune hic, quàm municipale, & cuiusque loci statuta attendenda sunt. Hæc de pœnali legati dicenda erant. Conventionalem in dubio parti tribuendam Navarrus pronunciat in Rubr. de iudiciis, quia contractus principaliter respiciunt contrahentes. c. Contractus de reg. iur. in 6. l. 1. §. si convenerit. ff. de possess. Vnde stylus aliquam per partem Fisco applicare solet, ut consulatur firmitati contractus. Zerola V. Pœna. Armilla eod. n. 4. Gloss. in Clement. Nolentes. de heret. Sanc. l. 3. Consil. c. un. dub. 8. Tufibus. cont. 240.

Dub. 6. An tempus pœnæ præfixum in odium negligentis currat ignorantis, & impedito?

Negligentia latè sumendo est omisio alicuius, quod fieri debet, & potest. Strictè verò est omisio actuum rationis, qui necessarii sunt, ut opus suo tempore fiat. Alii ita definiunt, ut sit cunctatio senear-

stas rationis, ineffaciter operando id, quod est jam bene consultatum, & iudicatum. Aliquando levis est, aliquando tam gravis, ut dolo comparetur. *Felin. in V. negligentia de rescript. Sylv. eod. Guido qu. 473.* Hoc posito Resp. cum *Panorm. in c. quia diversitatem de concess. præbendæ. non currere l. Genero ff. de his, qui not. infam.* Secus autem, si præfixum sit non in odium negligentis, sed in favorem alicujus. *l. Genero ff. de his, qui not. infam.* Ubi mulieri, quia mortem mariti ignorabat tempus anni currit, ut eodem tempore sumat, & ponat luctum, quo sumplisset sciens mariti sui mortem. Pari modo quamvis testamenti executor intra annum non potuerit exequi, executio ad Episcopum devolvitur. *arg. l. nulli c. de Episc. & Cler. & c. nos quidem de testam. quia videlicet in favorem defuncti, non verò in odium executoris anni unius tempus præfixum est. Angel. & Sylv. V. pœna nu. 17. Barb. in c. Cum sicut. de eo, qui mitt. in poss.*

Dub. 7. An pœna adjecta pacto solvendi certam summam v. gr. 100. aureorum non solvendi nisi partem, imputanda sit in solidum, an verò pro parte non soluta tantum.

Resp. Jure Canonico tantum pro parte non soluta imputandam, nec ulterius quicquam debere, qui unam partem solvit. *Gloss. in V. persolutis Innoc. & alii apud Barbof. in c. 9. de pœnis.*

DIXI Jure Canonico. Quia de civili valde ambigitur, existimantque multi aliter ab illo disponi in *l. heredes §. in illa ff. familia hercisc. l. sed an scire ff. de pignoris.* Ut ut sit, in dubio Juri Pontificio deferendum est: cui omnino favet æquitas,

ut illud, quod semel expensum est, iterum non exigatur. Sed nihilominus difficultas remanet de opera, & labore conducto. Promisisti Titio te quatuor jugera araturum, vel Codicem aliquem descripturum, nec perfecisti ultra dimidium, nihilominus promissam mercedem exigis: quid hic juris? Rectè *Sylv. cum Panorm.* distinguit. Si pars operis perfecta tantum commodi adfert Titio, quantum tota & integra, si prostaretur, totam mercedem deberi, aliàs minimè. Verbi gratia. Biblia sola tantum valent, quantum addito Decreto Gratiani. Non est opus propterea totum describere. Unde sequitur, tibi qui duo jugera tantum arasti, & duo Evangelia tantum descripsisti, non nisi dimidiam mercedem deberi. Fieri tamen potest, ut contrahentes aliter se obligent, & in quolibet eventu in solidum teneatur, qui pactum violavit. Contractus enim ex conventionione legem accipiunt *l. 1. §. si conveniat ff. de possess.*

Dub. 8. An pœna pro crimine, imposita sine certo termino perpetua sit?

Resp. 1. Pœna per sententiam interdictoriam imposita non est perpetua, sed ad summum durat, dum Judex esse designat. *l. fin ff. de pœn. Innocent. in c. quod translationem de off. Legati.* Exemplum esto. Si privatus sis usu & exercitio artis Notariatus. Nam ut *loco citat. dicitur.* Præses ultra administrationis suæ tempus interdicere alicui arte sua non potest.

Resp. 2. Pœna per sententiam definitivam, siquidem æqualis & commensurata delicto est, perpetua esse potest. *arg. l. si præses ff. de pœn. & confirmat Ecclesiastici*

hæretici fori consuetudo, secundum quam non raro carceris perpetui supplicio pro delicti gravitate malefactores puniuntur. *c. ult. & penult. de hæret. Roseric. Tomo XI. quest. 22. art. 4. Bern. Diaz in pract. c. 148. Davalos Enchirid. iudicum c. 13. Piascius part. 2. c. 4. num. 89. Spatharius in Methodo tract. 9 c. 14. Barb. in c. Excommunicamus de Hæreticis.*

Dub. 9. An pœna arbitrio Iudicis commissâ comprehendat etiam capitalem, seu mortis?

Resp. Baldus cum aliis multis laudatus à *Miranta pag. 44.* negativam partem tuetur, quæ haud dubiè mitior est: nec affirmantium rationes ad eò duræ sunt, quin frangi queant, ut apud *Mirantam* videbis. Eandem opinionem antefert *Menoch. l. 1. de arbitrar. quest. 86.* addens rationem quia in dubio mitior pœna intelligenda est. *l. in interpretatione ff. de pœn. & c. 18. Dist. 1. de pœnit.* Pœnæ molliendæ potius, quàm exasperandæ sunt. Excipit tamen supremum Magistratum, qui arbitrio sibi commissio mortem quoque arbitretur. *Tuschus Conclus. 217. Gomez l. 1. c. 6. Farinac. quest. 17. nu. 34. Fachin. l. 9. sup. 45.*

Dub. 10. Sempronius post commissum delictum furiosus est, licetne pœna vel suppliis illum afficere? Affirmativam partem aliqui colligunt ex *l. Divus ff. de off. prasidis.* Ubi legimus, si verò inter vallis quibusdam sensu sanior est, num fortè eo momento scelus admiserit, nec morbo ejus danda sit venia, diligenter explorabis: & si quid tale compereris, consules nos. *Item l. 1. ff. de pœn.* Quoties de delicto quaeritur, placuit, non eam

pœnam subire, quam debere, quem conditio ejus admittit eo tempore, quo sententia de ipso fertur, sed eam causam sustinere, quam sustineret, si eo tempore esset sententiam passus, cum deliquit. Denique superveniens furor, seu amentia non tollit obligationem præcedentem *l. furioso de his. qui sui, vel alieni juris sunt. l. si à reo s. si à furioso ff. de fidejussorib.* Negativam partem multò major pars sequitur apud *Fachin. l. 9. c. 3. 1.* Quia furiosus loco absentis, & quietentis est, per omnia, & in omnibus *l. 2 §. furiosus ff. de jure codicillor.* Sed absens non potest puniri pœna corporali. *l. absentem ff. de pœn.* ergò nec furiosus. 2. Furiosus non potest dici de crimine confessus aut convictus, cum absens censeatur. *l. qui sententiam C. de pœn.* 3. Pœna corporalis id eò infligitur, ut affligat reum: furiosus autem ipso furore, & amentia sua satis affligitur. *l. Divus ff. de off. prasid.* Non est igitur alia & nova afflictione opus. Ex his sequi videtur, non quidem pœna corporali aliquis, sed tamen honorum publicatione, aut pecuniaria pœna affligi posse, ut fufius protequitur *Meno h. de arbitrar. Casu 325 num. 12.* dicens hanc esse veriore, & receptiorem sententiam. A qua nihilominus recedens *Julius Clarus quest. 60.* ejusmodi reum Iudicis arbitrio puniendum esse pronunciat. *Fachinus* verò loco citato abstinendum interiori Iudici, & superiorem consulendum suadet juxta *loco cit. Divus ff. de off. prasid.* Mibi negativa opinio præferenda videtur. Etenim ut nemo prudens prævio, vel honore afficiendum existimat furiosum, ita rationi dissonum videtur

videtur pœnam irrogare. Quis enim illius effectus, aut fructus speretur? Idem, dices, quem in equo, vel cane verberato experimur. Meruunt, & abstant. Verbera igitur & his conformes pœnæ adhibeantur.

Dub. 11. An & quomodo ad hæredes pœna defuncti pertineat?

Resp. Crimina morte extinguuntur, quorum iam Dist. 24. & nullus post mortem accusari potest. c. 1. 24. quest. 1. ideo nulla propriè dicta pœna ad hæredes transit. Satisfacere tamen aliquando tenentur pro defunctis, & compensare damna, ex bonis nimirum relictis. Nominè hereditatis enim credita & debita continentur. *l. hereditatis app. latio. ff. de verb. sign.* Tenentur item ad pœnam, quæ specialiter pœna legibus constituta est, uti factum in crimine hæresis, & læsæ majestatis. *l. cum à matre C. de rei vendic. Silv. V. Hæres §. 1. num. 4. Tholosan. l. 31. c. 36. num. 9. Armilla num. 1. Gaill. l. 2. observ. 2. num. 12. Azor. ut. l. 1. c. 18. quest. 7. Card. Tuschus Conclus. 267. V. quæ diximus in part. 2. tit. 3. §. 2.*

Dub. 12. An quis pro alio, cum ipse innocens sit, puniri queat?

Respondet Covarr. l. 2. *Vsr. cap. 8. num. 7.* Humana lex sanctissimè ex causis & propter reipublicæ utilitatem potest filios, & nepotes pœna honorum, aliæ simili afficere, ut passim legibus, & Canonibus sancitum est, & annotarunt *Augustinus, Decius, Thom. Alexandr. Alenf. Alphons. Castro, & alii.* Glossa item *Summa 1. quest. 1. & ibi DD. Ita Covarru.* Exempla si requiratis, innumera suppetunt, partim ex sa-

cris, partim ex profanis literis, ut videre est apud *Peckium in Reg. lur. 22.* Non debet aliquis alterius odio prægravari. Optimè *S. Thom. 12. q. 87. art. 8.* Si loquamur, inquit, de pœna pro peccato inflictâ, in quantum habet rationem pœnæ, sic solum unusquisque pro peccato suo punitur, quia actus peccati aliquid personale est. Si autem loquamur de pœnâ, ut habet rationem medicinæ, contingit, quod unus punitur pro peccato alterius: & sic puniuntur filii pro parentibus, & subditi pro Dominis, in quantum sunt quædam res illorum. ita tamen, quod si filius est particeps culpæ, hujusmodi pœnalis defectus habet rationem pœnæ, quoad utrumque videlicet eum, qui punitur, & eum pro quo punitur. Si verò non sit particeps culpæ habet rationem pœnæ quoad eum, pro quo punitur: ad eum verò qui punitur, rationem medicinæ tantum habet, non verò pœnæ, nisi per accidens, in quantum alterius peccato consentit. In bonis autem animæ nemo patitur detrimentum sine culpâ propriâ, & propter hoc talibus pœnis unus non punitur pro alio, quia quoad animam filius non est pars patris. Ita *Sanctus Thomas V. Iulius Mazzarin in psalmo 50. Conclus. 11.*

Dub. 13. An valeat statutum, ut unus pro alio puniatur?

Resp. Si iusta, & rationabilis causa sit, valere, ut communiter DD. sentiunt apud *Iulium Clarum §. fin. quest. 86. num. 5.* cum limitatione tamen,

ff. 2

tamen,

tamen, ut poena non sit corporalis, sed vel pecuniaria vel infamiae, sicut ex *l. Quisquis C ad l. ul. maiestatis patet*, ubi filii eorum, qui criminis laesae maiestatis rei sunt, & bonorum amissione, & honore privantur: quod licet durissimum videatur, tolerari tamen potest, & debet propter atrocitatem sceleris. Infert deinde *Clarus*, valere statutum, ut dominus puniatur pro familia delinquentem, intellige, quoad poenam pecuniariam: item, ut pater teneatur solvere condemnationem pro filio, usque ad legitimam. *Covar. l. 2. Var. c. 8. Tholos. de Rep. l. 26. c. 5. n. 23. Tuschus Concl. 212. Medina l. 2 q. 73 ar. 4. Tanner. 111. D. 4. q. 6. n. 151.* Huc pertinet illa iuris gentium consuetudo bello victos in servitutem trahendi. *l. hostes ff. de captiv.* Qui occidi poterant servantur, libertate adempta, quae non minima poena est. Quia dominio alieno contra naturam innocens subijcitur. *Silv. V. Servitus nn. 1. Navar. c. 17. n. 103. Az. 111. l. 1. c. 4. q. 4. Less. c. 5. Dub. 4. num. 12.*

DVB. 14. An poenae loco in perpetuum carcerem fontes condemnari queant.

De carcerum inventione, usu, & fine multa scitu digna explicat *Tholos l. 31. c. 33.* ex quibus patet, longè alium hoc tempore, quam olim, carceris formam, modum, & usum esse. Nec idem fori civilis, & Canonici sensus. In civili carcer pro custodia tantum adhibetur, ut multis probat *Menochius Casu 305.* vel ad certum tempus, ut *lul. Clarus tradit §. fin. q. 46.* Ecclesiastici fori alia consuetudo est, de qua *Bern. Diaz in Practica crim. c. 126.* sequentia tradit.

I. Carceris usus seu finis duplex est. *Primò*, ut custodiae loco sit, dum de causa a-

gitur, & iudicium durat, pro quo sufficit praesumptio. *Secundò*, ut in poenam, & afflictionem serviat, quando Iudex sola hac poenâ vindicatur delictum intendit: in quo casu attendenda est personae dignitas, & carceris asperitas mitiganda. *Tertiò* imponi potest per sententiam definitivam, aut temporariam, aut perpetuam carcerem. *c. Quamvis de poen. in 6. c. si clericos. 15. de sent. excom. in 6. c. Dilectus de appellat. c. pen. & ult. de haeret. Davalos in Direct. Par. 2. c. 13. Tuschus. V. Carceris. concl. 85.*

II. Clericorum incarceration non leviter, nec passim facienda est, quia eius praedictum est irretinabile, ut notat *Bald. in l. 1. c. si in integr. restitutio postulet. Tuschus lo. cit. & Concl. 86.*

III. Curare debent ecclesiastici Iudices, ut Sacerdotum, & aliorum, qui in sacris constituti sunt, carcer non sit immundus, & equalidus, neque in eodem laici simul detineantur. Praelatos irregulares, & homicidas fieri, si tetro carcere clericum includant. *Menochius tradit Casu 305. ex Cardin. in Clem. l. 9. 7. De poenit. & remiss.* Addit carcerem non debere esse subterranum, nec valdè afflictivum, nisi causae gravitas exigat, quae tanta sit, ut ad torturam deveniri possit, ac debeat.

IV. Ad carcerem perpetuum damnati reos posse in duobus casibus. *Primò*, quando id in iure exprimitur, ut *c. pen. & ult. de haeret. Secundo* in casibus, in quibus propter atrocitatem delicti laico imponeretur poena mortis cum aliqua qualitate atroci, cuiusmodi est damnatio ad ignem, vel bestias. *Vallensis* è contra cum *Piascio* in solis casibus iure expressis perpetuum carcerem admittit.

V. Vigilandum Iudici ecclesiastico, ut perpe-

perpetuo carcere clausis alimenta non
defint, ne fame necando incurrant irre-
gularitatem, quemadmodum. *Abb. notat*
in c. à nobis. de Apost. Addit Barb. in c.
Excommunicamus. de heret. moris olim
fuisse, ut detrudendi in perpetuum carce-
rem, non solum verbaliter ab altaris mi-
nisterio removerentur, sed etiam actuali-
ter degradarentur; hodie autem morem
illum exolevisse. Denique Iudex clericum
iniuste detrudens in carcerem excom-
municatur. c. Si clericos. de sent. excomm.
in 6. Insuper damnus, & iniuriarum com-
pensare tenetur. Davalos in Enchirid. Ind.
Par. 2. c. 13. Moscon. l. 2. de iudiciis Par. 1.
c. 5. Foller. in Pract. Crim. in V. vel in car-
cerentur. Ign. Lopez. c. 127.

DVB. 15. An verberum, & fastigationis
pœna clericis conveniat?

R. Cum *Pisecio par. 2. c. 4. n. 91.* Verberum
pœnam usitatam esse in clericis *c. 1.*
de calumniator. c. fin. dist. 35. Sed non nisi
per clericum, clericus verberandus est, vel
ipsum Iudicem. *c. Univerſitatis. de sent.*
excom. Episcopus autem ipse nullum per-
cutere debet. *c. Non liceat. dist. 86.* Ca-
vendum quoque, ne membrorum aliqua
læsio, vel sanguinis effusio fiat: nec facile
Sacerdotes eiusmodi pœna affiendi.
Excipe atrociora delicta, qualia sunt, læsæ
maiestatis, Magia, & hæc. enumerata a-
pud *Zanger. Tract. de tort. c. 1. n. 64. 65. &*
66. in quibus clerici & Sacerdotes pari-
cum laicis modo castigantur. Quod tor-
turam attinet, cum de gravi crimine per
semiplenam probationem suspectus est
clericus, etiam in sacris ordinibus consti-
tutus, torqueri potest, non tamen per lai-
cum, nisi aliud consuetudo ferat. *Decia-*
nus l. 5. c. 36. Pisec. par. 2. c. 4. n. 92. Bern.

Diaz, quic. 126. torturam clericorū mo-
net non æquali severitate cum laicorum
torturâ faciendam. Obtinuit enim, & cō-
venit etiam in eodem eum laicis delicto.
lenius puniri, Addit ex confessione co-
ram laico Iudice facta, torqueri non pos-
se, quicquid in contrarium alii dicant. Si-
militer negat torquendum clericum esse
quia in dicendo testimonio vacillavit:
eò quod infamia præcedere debeat cum
aliis sufficientibus indiciis, quæ probatio-
nem semiplenam efficiant. *Clarus q. 69.*
n. 2. Card. Tuschus Concl. 221. Ignat. Lopez
in Pract. Crimin. c. 128. Zanger. de tort.
c. 2.

§. III.

De confiscatione bonorum.

I. **F**iscus est bursa Cæsaris, vel Princi-
pis: hodie saccus regius, in quo
congregantur bona reorum, maximè
proscriptorum. Alii vocant saccum sine
conscientia, qui imburſat omnia malè ac-
quisita. *l. in hæredem ff. de calum. & turpia*
lucra ab hæredibus extorquet, licet cri-
mina sint extincta d. l. in hæredem sub init.
Merito igitur à nonnullis lienī compara-
tur: quia nimirum, ut humores noxii in
lienem, ita reorum opes in Fiscum colliguntur,
& servantur. Voracissimus siquid-
dem, & capacissimus est. Denique quod
non capit Christus, rapit Fiscus. *c. Maio-*
res 16. q. 6. Mynſing §. Res fiscali. Instit. de
Usucap. Formaliter sumendo, est jus prin-
cipis damnatorum bona capiendi, & u-
tendi in vindictam delictorum. Gaill. l. 2.
obs. 86. Tholos. l. 3. de rep. c. 9. num. 5. Prans-
Marcus decis. 338. Schonborner l. 4. Polit.
c. 15. Anton. Peragrinus de iure Fiscali. 4.
ff 3 p. 32